

loquaculi, et praesertim mulieres, quae marito unum promente contentionis verbum, ipsae septem reddunt ad instar illius porticus in Olympia, quam septivocam appellant, quod pro una voce septenas reddat, Plut. teste. Id ipsum pulchra similitudine commendat S. Chrysostomus (super id 1. Thess. V.) Spiritum nolite extinguere: «Conviciatus est quisquam? Vituperavit? Tu claude os tuum: si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in aedibus, quando e regione duae januae oppositae sunt, et flatus vehemens irruerit, si alterum clausum, nihil valeat efficere flatus? Ita et hic duae sunt januae: os tuum et os illius, qui te vituperat, si tuum ocluseris, omnem istum flatum extinguas, etc.»

III. Da irato verba placida, juxta id Proverb. XV. *Responsio mollis frangit iram, sermo autem durus suscitatur furorem.* Sic mare incidens in rupes, fragorem ciet non item in arenam. Ita evenit, cum Gedeon compescuit indignantes sibi Ephraimitas, demulcendo eos laude, Jud. VIII. Placavit etiam hac arte Jonathas iratum Davidi patrem: *Ne pecces rex in David servum tuum, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde.* Sequitur autem: *Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathae juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur,* Regum XIX. l. 1. «Ferozem caprum, ait Plut. lib. de iracundia, non mulier solum, sed etiam puellus, tenera scalpitan manu, flectit facilius quam palæstes quilibet.» Sic equi efferati blandis edomantur verbis; uti Buccephalus ab Alexandro M. placide demulsus: sic plagavit Abigail Davidem, 1. Regum XXV. cum contra ejus maritus Nabal, duris verbis exacerbasset illum. Hoc enim aliud non est, quam quod Pythagoras vetuit: *Ignem gladio dissecare*, id est, ira percitum animum verborum asperitate exacerbare, ut refert Pier. lib. XLII. hierogl. c. LXII. Contentiosa quaedam mulier (refert Pontanus, in arte bel. p. II.) cui maritus iracundo ingenio cum merulas ab se coemptas daret assandas, dicens: Assa nobis hosce turdos; replicavit: Merulas appellas turdos? Respondit ille turdos esse. Negavit rursum illa, et merulas esse contendit; tum maritus eam pugnis operit. Anno vertente, cum rediret dies ille, memor verberum mulier: En, ait, hic est dies anniversarius, quo me ob maledictas merulas pugnis obsevisi. Tum vir: Et adhuc negare audes fuisse turdos? Nondum ergo cedentem, iterum pulsavit. Ita quotannis eodem die, cum similiter loqueretur, similiter vapulabat. Videant hic uxores, quod saepe possent habere bonos viros, si possent eis dare bona verba, vel tacere. Tentavit aliquando Ctesiphon pancratiastes calci-

tranti mulæ recalcitrare, sed non mitigavit eam, imo ad impingendum calces denuo irritavit, Plutar. in lib. de irac. coh. Sic iracundis verbis iracundi non mitigantur, probatum est. Contra Rudolphus Habsburgicus adhuc comes, abbatem S. Galli, cum quo lites et inde inimicitias gerebat, ultro accedens, post convivium placidis verbis ita sibi reconciliavit, ut postea auxiliantem in bellis habuerit, Lips. ep. XXXVIII. cent. III. miscel. Abstine praeterea ab odiosis gestibus, qui contemptum praeseferunt, velut motione capitis, suspensione nasi, protensione linguae, etc. Haec enim quasi ligna igni apposita eundem inflammant.

IV. Humilia te, et si offendisti deprecare culpam. Ita jubet hodie Dominus: *Si frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.* Sic Agar monita ab angelo ut reverteretur ad dominam suam et humiliaret se sub manu illius, placavit dominam, Gen. XXVI. Unde philosoph. II. rhet. cap. III. ait: «Servi negantes atque contradicentes, multo magis puniuntur: cum vero jure se puniri fatentur cessat ira. Quod autem humilitate ira sedetur, canes ostendunt, qui sedentes non mordent.» Haec philosophus. Sic leo prostratis parcat et iram deponit. Refert Oviedus, l. XVI. hist. Ind. c. XI. Didaco Salazari Hispano canem molossum fuisse, acrem et barbaris imprimis infestum, quem Bezerillum vocabant. Hunc Salazar aliquando in anum Indicam cui prius epistolam ad gubernatorem ferendam tradiderat, immisit: qui ferocissimo impetu facile eam assequitur. Misera anus, ubi molossum furibundum ad se recta tendere videt, humi residet, canemque hisce verbis sui idiomatis alloquitur: Domine canis, domine canis, ego fero istas litteras ad gubernatorem (obsignatam ei epistolam ostendens) ne saevias in me domine canis. Hic canis velut supplices illas et objectas preces sensisset, protinus mitigato impetu substitit, et intactam reliquit. Ea res Hispanis, qui ferociam et saevitiam animalis noverant, miraculo fuit: puduitque ipsos feminam interficere, cui canis pepercisisset. Similiter ergo pudebit generosum animum saevire in eum, qui se humiliat, culpam fatetur et deprecatur. Sic enim et David mitigavit Saulem, quando ad eum dixit: *Quem persequeris rex Israel? Quem persequeris? Canem mortuum persequeris, et pulicem unum,* 1. Regum XXIV. sic homicida quidam fune circa collum suspensus, die Veneris sancto, procidit ad pedes nobilis ejusdem fratris ejus, qui occiderat, et ob amorem Christi veniam rogavit, statimque obtinuit. Nobilem vero Deus copiose remuneratus est, nam animam occisi, et parentis nobilis simul e purgatorio exemit, ipsumque nobilem ad octi-

dum in caelum invitavit, adeoque accepit. Ut refert Seraphim, Razius, in hortulo exempl.

Sane dum neuter alteri cedit, signum est utrinque deesse humilitatem, juxta Salomonis sententiam: *Inter superbos semper sunt jurgia,* Prov. XIII. Proverbium etiam Italicum dicit: *Duro con duro non fa buon muro.* Patet in maceriis, quae cito dissolvuntur. Ut bonus ergo murus fiat, calx mollis adhiberi debet, quae duris cedat lapidibus. Ejusmodi calx fuit Isaac, cum foderet puteos ad greges suos adaquandos. Ubi enim invenit aquam vivam, rixati sunt pastores Geraræ cum pastoribus Isaac dicentes: *Nostra est aqua, fodit ergo alium puteum;* et cum de illo quoque contenderent, profectus inde fodit alium: pro quo amplius non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus *latitudo*, dicens: *Nunc dilatavit nos Dominus et fecit crescere super terram,* Gen. XXVI. *Ecce nihil hic contendit justus,* inquit Chrysostom. hom. LIII. *neque oblutatur, sed etiam pastoribus cedit.* Major minoribus; jure ergo dilatatus est.

V. Beneficio aliquo vel amoris exhibitione eum demulce. Sic canes demulcentur objecto pane: sic Cerberus ossa sedatus secundum poetas. Hoc est quod monet apostolus ad Rom. XII. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus,* q. d. illum a se totum mutabis et tui amantem facies; sicut aggestione carbonum ignitorum copulatur argentum argento. Sic Pilatus Herodem regem sibi agglutinavit, remittendo Christum ad tribunal ejus, quasi jus ejus tueri volens: sic reconciliavit sibi Saulem David, quando ostendit ei partem chlamydis abscissae, demonstrans quod traditum sibi a Deo in manus suas, potuisset velut hostem occidere, non tamen id fecerit, sed pepercerit ei et vicerit in se conceptam jam vindictae cogitationem: *Ecce, inquit, hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim: Non extendam manum in dominum meum, quia Christus Dominus est.* Quibus auditis, levavit Saul vocem suam et flevit, dixitque ad David: *Justior tu es, quam ego, tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala,* 1. Reg. XXIV. Eodem modo ethnicus imp. Augustus devinxit sibi L. Cinnam, qui vitae ejus insidiabatur. Postquam enim multa frustra tentarat severitatis media, tandem quid ageret, consilii inops, ab uxore consilium accepit, ut medicos imitaretur, qui ubi usitata remedia non procedunt, contraria tentant: ideoque quia severitate nihil profecisset, nunc clementia uteretur erga Cinnam. Obsecutus imp. Cinnam ad se vocat, et postquam ejus ingratitude et ma-

chinamenta ei exprobravit, subjicit: *Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hosti nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas?* Post hæc ultro detulit consulatum. Atque deinceps amicissimum fidelissimumque habuit et solum hæredem; nec ullis amplius insidiis ab eo petitus est, Sueton. capit. LI. Simili eventu Carolus IV. imp. Rom. hominem, qui sibi necem pararat, ad se accersiri jussit, eique post varias sui in illum affectus significaciones, mille aureos dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret, illius se misereri dicens, cujus filia natu grandior domi clausa esset. Imperatori insidiator gratias egit et ad conspiratores regressus: *Nesciebam, inquit, qualis Carolus esset: nunc liberalem et clementem principem ferire nullo modo possum,* Æn. Sylv. libr. III. de rebus Alph.

VI. Impudentes coercere: cum aliud medium non suppetit, praesertim si superior sit. Sic Quintilianus, lib. VI. c. XXI. ait: «Contra jurbantes audendum et impudentiae fortiter resistendum. Sunt enim quidam praeduri in hoc oris, ut obstrepant ingenti clamore et medios sermones intercipient, et omnia tumultu confundant, quos ut non imitari, ita acriter propulsare oportebit, et ipsorum improbitas retundenda est, et judices appellandi, etc.» Videtur etiam hoc voluisse Sapiens, Prov. XXVI. cum ait: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur,* q. d. retunde stultitiam ejus. Henricus comes Holsatiae, qui a fortitudine cognominabatur ferreus, cum in aula Eduardi III. regis Angliæ versaretur, Saxo natione, leoni cum rugitu et ferocia sibi obvianti interritus dixit: *Quiesce, quiesce canis ferox.* Qua voce consternatus leo prosternitur ad pedes ejus, et manu apprehensus ducitur in caveam, ut refert Crantzius, in sua historia. Quando igitur hujus modi leo tibi, potestatem in eum habenti, impudenter obrugiens occurrit, potes ac quandoque debes verbis asperioribus necnon pœnis illum coercere ac confundere. Objurgatus ille tam serio vidensque se habere tam potentem antagonistam, deponet suum furorem et sapere incipiet.

His mediis utamur dilectissimi, et licet ea forte nihil proficiant in irato, habebimus tamen mercedem iu caelo de laudabili et heroico designato opere; quam nobis largiatur Deus.

CONCIO VII.

DE MALIS EFFECTIBUS IRÆ.

I. Præcipitania. — II. Corporis commotio. — III. Vindictæ appetitus. — IV. Rixa et contentio.

THEMA.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. V.

Terribilem profecto legem Cn. Pompeii cons. Romani recenset, adeoque repetit et confirmat Justinianus imperator, lib. IV. instit. de iudiciis, qua iubetur parricida insui in culeo cum cane, gallo gallinaceo, simia et vipera, et inter eas ferales angustias comprehensus in vicinum mare vel amnem projici ac submergi. Cujus supplicii causam existimo esse, quia animalia illa præ cæteris ad iram prona et in proprios etiam parentes crudelia sunt, ut sic merito cum sociis illis feris inclusus intereat, quarum iram et sævitiam ante gestavit et fovit in pectore. Sed non solus parricida feras has in corde gerit, ausim enim dicere, quod omnis, qui præter fas et æquum irascitur fratri suo, tam pestiferam in corde familiam gerat. Quid enim iratus homo, nisi homo culeo insutus, mentis inops, cæcitate percussus, captivus? Quid ait in corde, quid parit voce et opere, nisi simiam præcipitantiam? Nisi canem excandescentiæ? Nisi viperam vindictæ? Nisi gallum rixæ et contentionis? Ut proinde mirum non sit, si irato homini tam dirum supplicium minetur Dominus in hodierno evangelio, iudicium videlicet, concilium et gehennam. Videndum igitur, quales sint irati partus.

I. Præcipitantia, quam cernere etiam in simia est, ea enim citissime ad iram commovetur, et cui paulo ante amica fuit, levi offensa contra illum armatur, ringitur, mordet, immemor priorum beneficiorum. Ad eundem modum iratus plerumque præcipitanter agit, quidquid agit; (siquidem ira, sua effervescentia, rationem turbat et præcurrit rei cognitionem) unde fit ut talia committat, quorum postea eum poenitebit. Refert Ælianus, in hist. animal. lib. VII. c. XVIII. exemplum memorabile de simia, quæ videns aliquando ex eminenti loco nutricem lavare in pelvi infantem, ea digressa idem attentare volens, infantem in fervidam aquam injecit et interfecit. Non dissimiliter agunt, qui præcipitantes sunt in ira; quid enim aliud faciunt, quam quod sanguine adhuc fervente, plurima tam in suam quam aliorum perniciem agunt, se et alios perdunt?

Præcipitantia hæc iracundi, sicuti nomine, ita et re simillima est illi, qua quis in altiori loco constitutus, indignum quid infra se cernit, quod ferre et cernere non sustinens, ex alto se præcipitet, non expectatis scalis, quibus commode descendat. Evehitur in altum homo cum in iram exardescit; percurrit enim et res-

puit rationem et leges omnes, mente confusus, et quasi vertigine laborans: et cum perturbationem paulatim sedare, ac per scalas pedetentim descendere de perturbatione illa deberet; ille præcipitem se dat et omnia festinanter atque inconsiderate agit, in sui et aliorum perniciem. Non docuit ita Dominus, qui cum jure meritissimo in ira et furore suo castigare et perdere potuisset Sodomam, noluit præcipitare supplicium et fulmina e celo dejicere, sed cunctanter descendere et prius videre: *Descendam et videbo*, inquit ad Abraham, *utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, annon est ita, ut sciam*, Gen. XVIII. Ecce non vult Dominus esse contentus clamore et provocatione reorum, atque adeo auditu: sed vult videre insuper: non vult (ut sic dicam) credere, vult scire; ac proinde non præcipitare sententiam, sed prius ponderare et descendere, non quod ipsi hoc necessarium fuerit; sed: *Ut nos doceamur, ne quis homo de absentibus et futuris et incertis putet se posse conjecturam facere, sed prius maxime prospicere debet, visus enim certus potius quam fallax auditus, testis adhibendus, est*, ut inquit Philo Judæus, de confusione linguarum. Qui per fossam aliquam saltare debet, non credit alteri narranti fossam non esse latam vel profundam: sed prius ipse eam considerat, et quo pedem ponere velit quærit fossæque latitudinem explorat: alioquin facile continget, ut in medium fossæ incidat. Iracundi meros et continuos saltus facere solent, omnes leges transilire, omnes dehortationes spernere, vique propria omnia cogere et ad suum sensum redigere: sed caveant, ne inconsiderate saltent, ne in fossam cadant: *Descendam et videbo*, ait Dominus; videant prius, quid acturi sint, quem exitum habituri, videant num res ita se habeat, sicut narrata fuit. Sed rara est hæc avis inter iracundos: plurimi narrationibus aut etiam suspicionibus solis innixi, iram mox effundunt, quasi vidissent. Idcirco nequam frustra dixit Dominus, Matth. XIII. *Qui habet aures audiendi, audiat*. Habent enim aliqui, præsertim iracundi, aures ad videndum potius quam ad audiendum. Cum enim audiunt ab uno quantumvis abjecto et fide indigno, se contemptum vel vilipensum esse ab aliquo, illico rem pro certo et comperto habent, quasi eam vidissent, non audissent; unde mox præcipitantur ad vindictam, et plerumque decipiuntur. Ita erravit ex præcipitantia Dav. a, auferendo possessiones innocenti Miphibosetho et dando ejus famulo Sibæ, ob falsam hujus narrationem, II. Reg. XVI. Ita erravit Theodosius imperator in cæde Thessalonicensium, qui ob paucos reos, præfecti sui interemptores, occidit

septies milenos innocentes: ob quem errorem a S. Ambrosio excommunicatus et Ecclesia exclusus fuit, donec publicam ageret poenitentiam, et sanciret legem ne sententiæ de cæde et honorum publicatione ante triginta dies executioni in posterum mandarentur, Baron. anno Domini 390. Propterea S. Jacobus, in epist. sua, c. I. admonet, ut: *Sit omnis homo tardus ad iram, Ira enim viri justitiam Dei non operatur*, inquit. Sane non operatur, sed per fas et nefas injustitiam potius, quod etiam exemplo Mahometis Othomani Turcarum regis discere possumus. « Hic enim nostra ætate, inquit Campofulgus, l. IX. c. II. cum in hortis, quos Constantinopoli in deliciis habebat, deesse pomum in arbore cedro, quod paulo ante inspexerat, animadvertisset; arbitratus procul dubio unum e tribus pueris, quos secum habebat, pomum decerpisse, quod in horto præter eos alius nullus fuerat; quia quilibet illorum se pomum decerpisse negabat, jussit ut ferro eorum corpora aperirentur, et nisi in primi cujus apertum fuit pectus stomacho fuisset inventum, dubium non erat, quia ad omnes ipsos ea pœna transiret. » Quis hic non videt præcipitantis iræ sævitiam pariter et injustitiam.

II. Corporis commotio et membrorum concitatio, quam in canibus videmus, quorum oculi ignescunt, dentes prominent, jubæ eriguntur, lingua latrat, cauda ventilatur, os ringitur, etc. eum exasperantur. Ad eundem modum homo ita percitus totus quasi ignescit et ignem undique spirat, fere ad modum dolii pulvere tormentario pleni: cujus unicum granum si ignem concipiat, totum illico inflammatur, inflammatur et quatit omnia cum fragore ingenti. Audi Senecam, lib. I. de ira, c. I. « Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, æstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coæctus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo præruptus et complosæ sæpius manus et pulsata humus pedibus et totum concitum corpus, magnasque iræ minas agens, fœda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescientium. » Hæc ille. Annon dicere possemus de his, quod Elisæo dixerunt, IV. Reg. IV. *convescentes: Mors in olla*. Ut enim olla ebulliens undique effundit fervidam, nec facile tangi se patitur, ita facit cor iracundia æstuans; neminem admittit monitorem, correctorem, etc. quia: *Os fatuorum ebullit stultitiam*, ait Sapiens, Prov. XV. Huc accedit S. Chrysostomus, hom. XXV. in Joan. dicens: *Ira vehemens ignis est, omnia consumit, animam coquinaat, tristitiam affert, turpis*

visu. Quod si iratus seipsum intueri posset nulla alterius indigeret admonitione; nihil enim irato turpius. Quare Plutarchus, lib. de cohib. ira, ait iratos adducendos esse ad speculum, ut esse inspiciant quam deformes sint. Seneca item, lib. II. de ira, c. XXXVI. ait: « Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit, aspexisse speculum, perturbavit illos tanta mutatio sui. » Narrat Sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. IV. fabulam de puella quadam formosa sive dea fistulæ cantu delectari solita, quod cum calamos inflasset, et oris sui deformitatem ex inflatione resultantem forte in fonte conspexisset, calamos confestim confregerit et fistulæ usum perpetuo detestata sit. O si hoc modo intuerentur se iracundi, viderent sane faciem suam humanam, Deique imaginem in bestialem formam transformari et intumescere, seque turpissimos esse, ab omnibus irrideri, vitari instar insani: ac proinde haud dubie fistulam iracundiæ detestarentur et confringerent; suamque ob stultitiam erubescerent; sicut sane erubescunt et dolent qui eum diligunt. Nonne si vir honoratus ebrietate forte contracta, spectaculum in foro ridiculum ederet; cum pueris luderet, clamaret, saltaret, equitaret in arundine ac velut histrio in theatro jocularetur ubi postea crapulam dormisset et audiret ista: nonne inquam vehementer confunderetur et se absconderet? Auget hanc fœditatem, quod levissima sæpe de causa commoventur iracundi, quo modo unica scintilla ignis accedens ad orificium bombardæ, totam eam inflammatur et cum ingenti fragore exonerat; quod etiam vidi in quadam simia, quæ in altoris sui faciem, cum is escam paululum subtrahere vellet, illico involavit et morsu pene nasum ei amputavit. Sic Nazareni uno Christi verbo: *Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum*, repleti sunt ira, et ejecerunt eum extra civitatem, duxeruntque ad supercilium montis, ut eum præcipitent, Luc. IV. sic Herodes ex eo quod magi ad ipsum non reverterint, sumpsit causam insaniendi in infantes: sic ille superbissimus rex Persarum Xerxes cum aliquando ficus Græcas admodum sapidas comederet, juravit se nolle in posterum alias præterquam Athenienses ficus comedere: atque ita mox Græciam bello aggressus est, turpiter tamen cæsus.

III. Vindictæ appetitus, quem in serpendibus maxime reperiri legimus. Vipera imprimis non modo calida est ad ulciscendum, sed etiam in propriam matrem, quæ in amplexu matris caput ei amputat, ultionem exercet, utrum ejus perumpendo cum nascitur, Pier. I. XIV. Pejor adhuc aspis: ejus enim furor implacabilis est et offensa quærit offensorem ad ultionem, vel

si ulcisci non potest, præ rabie moritur, ut Pier. lib. XIV. Barthol. Angl. et alii. Ad eundem modum iracundi plerique forte offensi, diutissime virus et vindictæ appetitum secum in corde gerunt et ultionis occasionem quarunt : sed magno suo periculo ; nam uti partus quo diutius retinetur, eo fit major et difficilior ac periculosius emittitur, sæpe cum interitu matris : ita vindictæ appetitus diu retentus. Crescit enim in dies, et ira quæ festuca erat, inveterata fit odium et trabs, S. Chrysost. ho. XIV. in epist. ad Eph. ait : « Quomodo si quando, quod aeri nebulosum ac densum per noctem accessit, diurno calore sol nec dissolvere poterit nec dissipare, causam ac materiam tempestatis exhibet, quod residuum est apprehendente nocte, illudque rursus aliis vaporibus augmentante : ita habet iræ conditio. » Caveant ergo isti, quia ex iræ nubecula, tempestatem sibi parient, tonitrua et fulmina, rixas, mutilationes et forte cædes, nisi eam mox dissipaverint calore charitatis. Accedit S. Augustinus, epist. LXXXVIII. inquit : *Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit.* Propterea apostolus ad Eph. IV. non concedit alteram diem iracundo : *Sol non occidat*, inquit, *super iracundiam vestram* : et Dominus immediate post hodiernum evangelium subjungit : *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.* Nemo enim nescit, quod si reus cum actore postulatus de mutilatione, v. g. prius amice transigat, quin multo consultius agat, quam si rem iudicio committat ; ibi enim non tantum ad expensas et damnum condemnabitur actori, sed etiam iudici multam luet. Scribit Polybius Antiochum cognomento Epiphanem seu illustrem, cum Alexandriam obsideret sub Romanorum tutela constitutam, et interim senatus Romanorum Popilionem senatorem ad eum mitteret, qui diceret, ut ab obsidione cessaret, sin minus, Romanorum inimicus haberetur, respondisse, se hanc rem maturius deliberaturum ac respondurum. Tunc senator Romanus lineam fecit vitrea virga in circuitu Antiochi, dixitque : *Hocne in dubium tibi revocandum est, an hostis Romanorum sis? Non præteribis hanc lineam, donec id defueris et decernas.* Tunc Antiochus annuit, et obsidionem solvit. Tibi hoc dicitur iracunde, apostolus enim circulum solis tibi circumscribit, ut ne diem hanc excedas, quin dimittas iram et ultionis appetitum : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Dominus ipse brevissimam tibi viam assignat, dum vadis cum adversario e domo tua ad domum iudicis, uti ne expectes usque ad ingressum illius, alioquin hostis non

Romanorum sed ipsius Dei futurus. Quid igitur tu? Adhucne deliberabis? Excedesne ex hoc spatio?

Deinde, nonne Dominus vult in hodierno evangelio dimitti munus in altari et prius deponi iram fierique reconciliationem cum fratre? Quæ vero est hæc tanta necessitas et causa festinationis? Nimirum : *Te querit Deus magis quam munus tuum*, ait S. August. serm. XVI. de verbis Domini. Timet enim ne te perdat, ne tu præveniaris ab ira Dei. Si scires tibi solvendum esse creditorem dum sol lucet, alioquin in vincula eundem perpetua : quis tibi non suaderet, quis non hortaretur ut ante omnia creditori satisfaceres?

IV. Rixa et contentio, quam et gallus gallinæus mirifice amat præsertim ubi vinum adustum prius bibit ; querit enim ex instituto, cum quo rixari possit : in certamine calcaribus, penis, rostro pro armis utitur, pennas subrigit, saltat, cedere contemnit : audiens alterum cantantem, mox eum provocat ad certamen. Cæterum victor, interdum dum canit trophæum, arripitur ab aquila, ut est in fabula illa. Hinc etiam partus hominis iracundi est, nam Proverb. XXIX. dicitur : *Vir iracundus provocat rixas.* Tales enim studio querunt quibuscum rixari possint, præsertim ubi vino incaluerint, et nihil non audent. Primo, inquirunt, quod in altero carpant, vel aliunde occasionem arripiunt altercandi : deinde, verbis contendunt, et se mutuo provocant, uti Goliath Davidem. Postmodum lapides conviciorum lingua quasi funda emittunt, uti Semei contra Davidem : denique, ubi minus quasi pugnatum est, tandem ad manus et gladium veniunt, ad vulnera, ad cædes : post hæc ad multam, bonorum confiscationem, ad infamiam, et supplicia publica. Ita miseri post tot labores metunt sibi dolorem, inopiam, ignominiam, necem. Hinc bene Jeremias, cap. 1. duabus illis visionibus, primo, videt ollam succensam ; deinde, virgam vigilantem ; siquidem Deus veluti oculatissima aquila vigilat super huiusmodi gallis cum virga sua, et sæpissime statuit ut tales Goliathi ab exiguo Davide turpiter occidantur et ita victus quidem intreat, victor vero publico supplicio exterminetur. Sic minatur Sobnæ præposito, Isa. XII. *Quid tu hic, quia excidisti hic in petra tabernaculum tibi? Ecce asportari te faciet Dominus, sicut asportatur gallus gallinæus.* Et non sufficiat hoc ad rixas et duella compescenda? Certe duces aliqui solent hoc pacto militibus suis duella prohibere, concedunt eis duellum, sed ea lege ut qui alterum occiderit, mox suspendatur. Connivet etiam Deus ejusmodi lanistis, sed tandem victorem gravius punit. Non au-

dimus in hodierno evangelio : *Qui irascitur fratri suo; qui dixerit : Raca; qui dixerit : Fatue; reus erit iudicio, concilio, gehenna ignis? Quid severius dici poterat? Si talium reus est, qui irascitur et conviciatur; qui cogitatione tantum et lingua vulnerat vel occidit; qualium reus non erit, qui reipsa vulnerat, mutilat, occidit?*

Accedit quod : *Puerilis animositas est contendere*, inquit S. Augustinus, epist. CLXXIV. et studere ut alterum vincat, cum apud Christianos vincere solum debeat veritas, pax et humilitas. Audiatur vel ethnicus Seneca, lib. II. de ira, cap. XXXIV. *Cum pari contendere anceps est*, inquit, *cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum.* Audiatur et Sapiens, Prov. XX. *Honor est homini, qui separat se a contentione: omnes autem stulti miscuntur contumeliis*, id est, contentione, quæ gignunt et jactant contumelias.

Quando igitur videmus, auditores, quam fœdi et abominandi sint partus iracundiæ, fugiamus eorum matrem ; scientes quoniam iracundi saltim in gehenna, sociabuntur tartareis bestiis, canibus, simiis, serpentibus, quorum bilem et sævitiam imitari in terris voluerunt. Quod a nobis avertat Deus.

CONCIO VIII.

CAUSÆ ET FINES OBLATIONUM.

I. Fiunt in signum recognitionis. — II. Ad venerationem Christi in altari. — III. Administratorum Ecclesiæ sustentationem. — IV. Ad impetranda vicissim alia bona.

THEMA.

Tunc veniens offer munus tuum. Matth. V.

Notandum est, auditores, quod jubet Dominus in hodierno evangelio relinquere munus ad altare, et prius quam offeratur, ire ad reconciliandum fratrem. Hinc enim manifeste sequitur, munera quæ homines offerunt ad altare, Deo grata esse. Alioquin enim Dominus jussisset absque dubio tolli ab altari munus et a conspectu suo abjici, quasi execrandum aut superstitiosum. Verum tantum abest ut abjici, id jussisset, ut ad altare relinqui, postea offerendum et a Deo acceptandum. Non præcepit nobis ut sublato de altari munere, cum eo discederemus et reverteremur ; ne forte penitentia oblationis ducti, munus retraheremus ; Deoque subtraheremus, sed mandavit munus relinquendum in altari, utpote ei decretum et cæteroqui gratum. Quid hic obgannient hæretici, qui calumniantur oblationes quæ fiunt ad altare, a sacerdotum avaritia excogitatas, insuper superstitiosas esse? Contemptis igitur his canum latratibus, osten-

damus oblationes actum religionis Deo gratam esse ex earundem causis et finibus.

I. Fiunt in signum recognitionis, quod omnia nostra a Deo habeamus, illique accepta feramus. Sic enim solent domini feudorum vel prædiorum requirere a vasallis suis in recognitionem certum munus annuum, vel cum feudum fit caducum : vel ab emphyteutis certam partem fructuum. Atqui nos a Deo omnia habemus, eique omnia debemus ; hoc ergo munere aliquo licet impari et exiguo recognoscere et profiteri debemus : idque adeo naturæ consonum est, ut nulla pene natio fuerit tam barbara, quæ non certa munera diis suis offerre, uti crocum, thus, pecora soleret. In vita S. Athenogenis, legimus cervam ei fuisse, quæ evangelicæ lectionis tempore hinnulum suum in divinis officiis Ecclesiæ offerre consueverat, Metaph. et Lipom. in ejus vita. Quare ostendere voluit Deus, gratam imo debitam sibi esse oblationem nostram. Duo magna bona nos a Deo habemus, corpus et animam, et quæ ea consequuntur. Inspice bene utraque, et videbis in iis Dei imaginem ; Deo ergo debentur. Unde S. Bern. serm. III. de purific. ait : *Ut vidua evangelica duo æra minuta misit in ærarium templi: ita nos duo minuta, puta corpus et animam Deo offeramus.* Hinc bis in officio divino ad altare offerri solet. Unde cum quis offert donum suum ad altare, cogitet se hoc externo dono velle seipsum Deo offerre. Non enim vult Deus donum nostrum sine nobis. Ostendimus etiam his munusculis nostram gratitudinem, quam debemus Deo largitori bonorum omnium ; audituri alioquin illud Domini : *Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo*, Luc. XVII. Nec refert, quod quæ offerimus Deo, semper ipsius Dei sint et maneant ; mentem enim gratam non divitias ei dare volumus, simulque ostendere nos debere ei omnia, quia ab eo accepimus omnia. Ita David, 1. Par. ult. orabat : *Quis ego et populus meus ut possimus hæc tibi universa promittere? Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

II. Ad venerationem Christi in eucharistia ad nos venientis sub officio missæ ; sic enim accedenti ad tabernaculum vel templum præcepit Deus, Exod. XXIII. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, id est, sine oblatione seu munere : Hebraica verba sonant : *Non videbuntur facies meæ vane.* Videmus autem faciem Dei quodammodo in sacrificio missæ. Hinc Gregorius VII. an. 1078. præcepit : *Omnis Christianus procuret ad missarum solemniam aliquid Deo offerre et reducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit : Non apparebit in conspectu meo vacuus.* Certe principes terrenos ad civitates nostras livertentes, non sine munere salutare consuevimus. Et olim